

Σὺν θεῷ ἀρχιάτρῳ τρισμεγίστῳ!

FEBRIM MILITA-REM,

quæ vulgò Morbus Hungaricus
vocatur,
Adſpirante divini favoris aurâ,
Indultu inclytæ Facultatis Medicæ in perantiquâ
jam refloreſcente Geranâ,
SUB PRÆSIDIO


GEORGII CHRISTOPHORI
PETRI,
Medicinæ Doctoris, Facultatis Medicæ Aſſeſſoris,
Practici Erf... &c.
Dn. Præceptoris ac Fautoris ſui ... h...oris niſu proſeqvendi,
Publicæ Philia...rum cenſuræ
ſubmittit
SALOMON FLEISCHHAUERUS,
Med. Stud. Erffurtô Thuringus.

Ad diem 10. Februarii,
Horis & locô conſuetis.
Annô
qVò faX CœrVLeô fataLIs In æthere LVXIt:
at ChrIſtVs LVCtVs LenIet, atqVe LVeM.

Erfurti,
Typis Johann Georgii Hertzii,

Diſputatio rara ex flamma erepta.

JESU JUVA!



N morborum censu, qvi vel silentiô & occultis subeunt cuniculis, vel apertô grassantur & sæviunt Marte, meritô prima occupat subsellia *Febris*, qvæ non solum vitæ fontem & radicem Cor impetit, sed cum spiritibus & humoribus etiam solidas partes, immo totum accendit Microcosmum, nulli ætati, nulli sexui parcens. Adoritur hæc calorem, qvem Mystagogus noster venerabilis Cous *6. epid. comment. 5. t. 5.* ob immediatum cum animâ nexum ψυχῆς dignatur titulô, cujus beneficiô homo vivit, & animâ dirigente omnia perficit opera: qvi si salvus sit, prosperè cum hominis rebus agitur: sin autem pessundatus langvescat, aut subtracto fomite extinguatur, mors in insidiis, immo præ foribus est ipsis. Non autem unô mortales lacessit modô Febris, sed admodum πολύμορφος & Prothei instar varias sibi adsciscit formas: qvandoqve enim solum spiritum vitalem; interdum humores in vasis; nonnunqvam solidam partium aggreditur substantiam: hinc spirituosæ seu ephemeræ, humoralis & hecticæ nomen sortitur: sine intermissione si hominem affligat, continua; sin verò qvasdam concedat inducias, intermittens nuncupatur. Putredo si adsit insignis, febris putrida; hanc si stipet perniciosa & maligna qvalitas, conjuncta cum magnâ symptomatum vehementiâ, febris pestilens & maligna indigitatur.

Thesis

I. Hujus farinæ est Febris, qvam favente divinô Numine jam in scenam producturi sumus: hæc vulgò Morbus Hungaricus aut Panno-

nicus audit: Horstius febrem militarem appellat, sago qvippe qvam togæ familiariorem: nonnulli castrensem dicunt: castris enim oriundus ad loca postmodum & ordines cæteros, tanqvam â scintillâ ad rogum transiit: Germani vocant **die Hauptkranckheit / die Hertzbrenne oder Hertzbräune**/ qvasi dicas causum cordis: communiter nominant **die Ungarische Kranckheit.** Hoc nomen traxit â locô, ubi maximè innotuisse videtur. Cum enim Annô post orbem redemptum 1566. gloriosæ memoriæ Imperator Maximilianus II. contra Turcarum Tyrannum Solymannum expeditionem bellicam suscepisset ad Comorram, ubi Christianorum exercitus, pro aris scilicet & focis dimicaturi, convenerant, truculentam tunc temporis morbus hic inter milites edidit stragem, ut ferè tum plures hôc morbô, qvam hostili perierint gladiô: bellô tandem confectô exauctoratus miles Hungaricis castris valedicens, malum hoc penè per universam Europâ disseminavit. Vidisses hîc diversoria languentibus referta; vias publicas cadaveribus repletas; & omnia funestô occupata luctu: Unde factum, ut aliis plurimis, qvi expeditioni illi non interfuerant, labes hæc per contagium communicata exitium attulerit: hinc populosissimæ provinciæ suis inqvilinis; amœnissimæ urbes suis civibus; cultissimi pagi suis colonis, habitô discrimine nullô, orbati sunt & spoliati. Et qvamvis postea lues hæc de suâ ferociâ aliqvantulum remittere videretur, recruduit tamen facilimè, præcipuè, qvotiescunqve immanes Turcæ armis resumptis exercitus Christianos per oras Hungariæ sibi obviam ire coëgerunt: Idqvod rerum Pannonicarum scriptores sedulò annotarunt.

2. Qvamvis autem Febris hæc maximè tum temporis morbi Hungarici appellationem sortita fuerit: Nemo tamen velim sibi persvadeat, morbum hunc omninò novum & antiqvis prorsus incognitum fuisse. Iatriarcha noster Hippocrates *2. epid. s. 3.* tam eleganter affectum hunc, (præsertim ubi cum petechiis apparet). depingit, ut etiam per transennam inspicienti hunc locum natura ejus abundè patescat. Verba sic sonant: *In febribus autem æstivis circa septimum, octavum & nonum diem aspredines qvædam miliaceæ, culicum morsibus ferè similes, qvæ tamen non admodum pruriebant, in summâ cute subnascebantur, & ad judicationem usqve perdurabant. Ac ne eæ qvidem masculorum ulli eruperunt. Mulier verò, cui talia fierent, nulla mortua est: hebetiori tamen erant au-*

ditu

ditu & soporosa, qvamvis antea non admodum soporosa essent, qvibus ista evenire debebant. Neqve tamen in totum perseverabant. Haut obscurior locus occurrit 7. *epid. in historiâ Fullonis & Pherecydæ.* Ejusdem morbi mentionem facit divinus Pergamenus *lib. 1. de diff. febr. c. 3. & 4.* ut & *Aëtius lib. 5.* Ut propterea dicere non ausim, hanc luem priscis omninò pepercisse, innumeris pariter nobiscum morbis expositis.

3. Peculiarem tamen præ aliis regionibus vim ad producendum morbum hunc Hungariam obtinere, inprimis in subjectis dispositis, nemo inficias ibit: siqvidem Aër ibidem duobus extremis Naturæ infestissimis peccare fertur: vel enim nimium crassus & nebulosus, vel discussis nebulis ultra modum subtilis est: qvæ aëris anomalia præcipuè Germanis officit, qvorum familiares venti Carpathiis rupibus qvasi obice excluduntur. Præterea crebræ tetrumqve spirantes paludes & inevitabiles castrorum sordes aërem per se crassum magis inqvinant. Hûc faciunt freqventes in victu errores, carnium & piscium coctu contumacium esus: Aqvarum stagnantium & limosarum, ut & vini Hungarici potentis immoderatus usus: de qvibus omnibus infra in causis fusius agemus, pro tempore ad hujus luis naturam clarius definiendam, vel potius describendam nos accingentes.

4. Cum autem nullus ferè affectus tam inconstantis, dubiæ atqve ancipitis sit naturæ, qvam ipse morbus Hungaricus, idcircò difficillimum hîc reor τὸ εὖ ὁρίζεσθαι, καὶ γνώμην εἰς βουλὴν εἰς φέρειν. Jacta tamen esto â nobis alea, meliora si qvæ proferentur, lubentissimè acceptu-ris. Definimus itaque *Morbum Hungaricum, qvod sit Febris continua, maligna & contagiosa, ab humoribus pravis & corruptissimis circa ventriculum & primas vias, item in vasis majoribus exorta, qvam symptomata junctim multa & gravissima comitantur. Genus* est Febris, consistit enim in calidâ totius corporis intemperie, & oritur â calore p. n. in corde accensô, mediantibus spiritibus & sangvine per venas & arterias diffusò, læditqve insigniter actiones naturales. Duplicem in homine calorem constituit *Cous 6. epid. comm. 5. t. 5.* unum naturalem, alterum p. n., dum inqvit: ἀνθρώπου ψυχὴ φύεται ἄχρι θανάτου, ἢν δ' ἐκπυρωθῇ ἅμα τῇ νόσῳ, καὶ ἡ ψυχὴ καὶ τὸ σῶμα φθείρεται, *i. e. Hominis anima, seu ignis, producitur semper usque ad mortem: Sin autem ab alterô igne i. e. febre excanducrit, simul cum morbô & anima & corpus depascitur.* Galenus *de diff. febr. c. 1.*

 essen-

essentiam febrium calorem p. n. esse statuit; quod confirmat Trallianus *lib.* 12 *c.* 1. & Avicenna 4. *canon. fen* 1 *tr* 1. *c.* 1. Atque adeò calida intemperies cuilibet febri intrinseca est & essentialis, ut non aliâ ratione febris sit morbus, quam qvâ similarium corporis partium temperamentum mutat.

5. Sic igitur morbum Hungaricum febrim esse pronunciamus, eamque *continuam*; Talis enim ordinariè deprehenditur: siqvidem Cor à qualitate malignâ labefactatum, & ab humoribus vaporibusque putridis tantum non oppressum, motu continuô lacessitur, & sine intermissione adversus capitalem insurgit hostem: qvia tamen certis & qs. novis periodis exacerbatur, ideò etiam periodicam non adeò ineptè dici posse putamus. Sunt, qvi illam erraticis & continuis putridis accenseant. Crato ad Synochum luem hanc referre non dubitat. Et sanè, cum morbus hic juxta diversum morbosi apparatûs genium diversimodè se habeat, ideô varias qvandoque mentitur febres: Eâ tamen lege atque omine, ut peculiares circumstantias sibi reservet, quæ illum ab aliis febribus discrepare testentur.

6. Summam huic febri inesse *malignitatem* arguit 1. plurimorum ægrotorum internecio. 2. in epidemiorum morborum classem meritò refertur, qvorum nullus malignitate caret. 3. Omnino incertæ & ancipitis est Naturæ, qvam ob caussam si non planè ἄκριτ@-, valdè tamen δύσκριτ@- est, more omnium febrium malignarum 4. Laboriosissima peritissimorum Medicorum curatio κακοήθειαν hujus febris evidentissimè evincit, sævissimis symptomatibus, quæ multum negotii Medicis facessunt, sæpè præter spem subitò prorumpentibus.

7. *Contagiosam* esse νόσῳ τῇ ἀποκρίσει, ἢ τοῖς μιάσμασιν febrem hanc arguit infectio non domorum integrarum solum, sed & urbium & pagorum. Seminarium enim lentum & glutinosum facilè ab unô in alium serpit, vehiculô aëris venenosi, & malignis effluviis contaminati, sive illa ex pravâ viscerum oppilatione, humorumve malitiâ, sive ex terrestribus & cæcis æternæ noctis receptaculis exspirent, sive ex noxiis fuliginibus aut aliis de caussis ortum ducant. Illos tamen principaliter Contagii infaustum Seminarium inficere arbitramur, qui ob occultam quandam sympatheiam ad illud suscipiendum sunt dispositi, non secus, ac pravas nebulas suspectasque pruinas decidentes in silvas, certas duntaxat ar-

borum

horum species, illæsis reliquis nonnunquam offendere videmus, quô simili utitur *Angelus Sala tr. de peste.*

8. Quamvis autem morbus hic universaliter adoriatur & destruat non solum Cor, sed & ὁλομελίην seu universitatem totam: *πρῶτον tamen δεκτικὸν Cor est*, qvod gravissimis insultibus exercetur: Id qvod subitaneus & feralis virium lapsus locupletissimè demonstrat. *Secundarium subjectum* sunt viscera compatientia: quod abundè docuit *αὐτοψία* in cadaverum dissectione, ubi Cor flaccidum, jecur phlegmone confectũ, ventriculus pulmonesque siderati ac nigricantes usque adeò visi fuerunt, acsi epotô toxicô hæc viscera tam diris fuerint inqvinata modis.

9. His ita prælibatis ad *Causas* hujus Febris nos conferimus, secuti monitum Herophili scribentis, oportere Medicum, quæ qualis & quanta sit causa morbi prius cognoscere, qvam de remediô cogitet. Causa autem hujus luis tam altè jacet abscondita, & tot difficultatibus irretita est, ut vix erui possit, etiam â studiosissimè laborantibus: nec vitio verti alicui posset, si cum Hippocrate & Galenô post longas animi velitationes ad τὸ θεῖον confugeret. *Immediatam causam* consistere putamus in illâ peculiari malignitate, cordi inimicâ & sangvinis ebullitionem excitante, aliaq; gravissima Symptomata producente: qvæ malignitas in qvibus qvalitatibus consistat, in hâc humanæ mentis caligine exactè perscrutari non concessum est. Chimici accusant venena Mercurialia, aconitica, arsenicalia, cicutalia & sim. Malignitatis tamen Natura etiam curiosissimos indagatores fugit, qvicqvid etiam vana mortalium audeat ambitio. Cogimur itaque ad qvalitatum abstrusarum confugere asylum, donec ex immensô ignorantiæ humanæ pelagô tandem ad exoptatum perfectæ scientiæ portum nos duci continget.

10. Ex rerum non naturalium censu causam statuimus esse *Aërem*, qui ut omnibus animantibus necessariò attrahendus est, ita fieri non potest, qvin immutatus & p. n. affectus qvodlibet subjectum lædat promtissimè. Alteratur autem aër vel â superioribus vel ab inferioribus. Superiora aut cœlestia, etsi quandoqvè signa talium malorum suppeditent, nihil in se maligni aut pestiferi habent, siqvidem saluti nata, teste ipsô DEO, Gen. 1. Si enim mutarentur, vel âseipsis vel ab aliis id fieret: Illud impossibile, qvia ὁμογενῆ sunt, qvæ in seipsa agere non possunt. Nec aliunde patiuntur, sic enim corrumperentur: atqvi illa teste Aristotele lib. de cœ-

de cœlo 1. *cap.* 3. ἄφθαρτα sunt & omnis corruptionis expertia. Nec *Cometas* aërem ad malignitatem disponere credibile est: siqvidem illi ad aërem alterandum aut alios effectus malignos producendos nihil prorsus virium habent; sed eorum saltem signa sunt extrinseca. Effectus enim tales, si Athanasio Kirchero credimus; â solô laborantis Solis paroxysmô, minimè verô â Cometâ procedunt. Inferiora igitur aërem potius alterare putamus: inquinamenta talia aëri conciliant mephiticæ castrorum sordes, inhumatorum hominum crudeli Marti in præliis immolatorum, & jumentorum temerè projectorum virulentus halitus, creberrimæ paludes, nebulæ freqventes, tetrum spirantia stagna, aquarum sua littora transcendentium putrefactio, pluviæ pravæ, præsertim Austrô spirante cadentes, venenatæ tonitruum & coruscationum exspirationes, piscium circa littora dispersorum corruptela ac fœtor, & sim. Non minus Aër â vaporibus malignis vi ventorum ê longinquis oris ad nos perductis pollui potest: interdum Contagii seminaria ab unô individuô in aliud transportantur, idque solô aëris adminiculô. Nonnunquam ex subterraneis montium cryptis, præsertim post terræ motum ex variarum rerum confusione & putredine pestifer exspirat halitus, qui aërem vicinum inficit, per quæ putrida & morbida μιάσματα magna sæpe brutis hominibusque strages accidere solet: quod experiri licet peregrinantibus prope Monspelium & Neapolim. Præterea militibus ut plurimum sub diô & frigidô dormiendum Jove, quô fit, ut vapores è terrâ ascendentes excipiant, pluviarum injurias perferant, & deinde madida vestimenta cum siccis permutare non possint. Hinc illa malorum Lerna! hinc tot malignitatis fontes!

II. Huc facit *victus communis*; pravus sæpè, quô in melioris penuriâ ob annonæ caritatem vesci coguntur milites, ut plurimum nullô ordine observato: â quibus impuris & sordidis alimentis non nisi vitiosi prognascuntur humores, qui in corpore cacochymicô deteriores redditi, venenatamque qualitatem nacti, & externô aëris adminiculô excitati, facilè talem luem procreare valent, ut Galenus docet *lib.* 1. *de. diff. febr. c.* 4. Ejusmodi cibi sunt frumentum sideratione, rubigine & putredine vitiatum, ex qvo panis pinsitur valdè insalubris, qvi vix ê clibanô extractus, & adhuc calens, immo mucore obsitus sæpè pro Ambrosiâ comeditur: Carnes item præsertim bubulæ diutius asservatæ, semi putridæ

& â

& à morbidis animalibus acceptæ, quæ plerumq; semicrudæ, sine pane, sine sale fœdissimè deglutiuntur: pisces in stagnis, præsertim, in qvibus linum & cannabis macerari solent, degentes, fructus fugaces, qvibus Hungaria abundat, & similia. Accedit & hoc, quod militibus sæpè aquæ palustres & limosæ potandæ sint, maximè illæ, qvæ ob nimiam æstatis siccitatem penè absumptæ amarescunt, vel cadaverum aut alterius inquinamenti permixtione contaminatæ corrumpuntur. Hujus commatis est cerevisia crassa, turbida & fæculenta.

12. Tot & tantos diætæ errores incautus miles *vinô Hungaricô potente*, sæpè nimium sulphuratô, Tartareô & pendulô, corrigere studet, dies noctesque strenuè pergræcando, vinumque ad ambas usq; aures ingurgitando, ut plurimum tamen sinistrô cum eventu, siquidem ex hujus vini, præsertim meracioris usu, bilis in corpore facilè sua capit incrementa, & crudi in corpore cumulati humores vinô tanquam vehiculô ad exiliores devehuntur venas: inprimis autem illi præ reliquis â vini hujus usu plurimum læduntur, qui in Septentrionalibus regionibus cerevisiæ bibendæ assuefacti, vino huic potenti, ubi copia ejus facta, tantum non se immergunt. Ex horum igitur & similium alimentorum usu necessariò humores putridi in corpore accumulantur, qui nisi crebrioribus exercitiis per ἄδηλον διαπνοὴν discutiantur, majorem indies pravitatem, immo venenatam induunt Naturam, quæ ab Aëre ambiente excitata, spiritibusque vitalibus permista facilè malignam hanc labem producere apta nata est. Hûc pertinent etiam reliqui rerum non Naturalium effectus, rectè se non habentes, inprimis animi παθήματα vehementiora, spiritus vitales debilitantia, ex. gr. mæror, quem sæpè exitiosissimas febres produxisse observavit Mercurialis.

13. Præterea ad feliciorem hujus morbi notitiam & curationem non parum refert, nosse, qualis sit hujus luis fomes, & qvônam humore potissimum constet. Sunt, qui pituitosos humores hîc accusant; verum sine sufficientibus rationibus. Sunt, qui in sanguinem fomitis sedem collocant, eô, quod maculæ rubeæ nonnunquam apparentes analogiam sanguinis arguant; & sanè, cum ægri in hâc febre vehementer æstuent, sitiant, & calore totum corpus ferè aduratur, immo in plethoricis sy-

çis sy-

cis synocham hæc febris referat, argumentô est, hujus fomitem esse sangvinem, non tamen purum, sed pravum, putridum & biliosum. Accedit, quod calculô omnium febres continuæ in venâ cavâ accendantur, quam ob causam ægri ut plurimum in hâc febre de summô dorsi dolore conqveruntur.

14. SIGNA Διαγνωςικὰ in hâc febre suppeditant symptomata plenô agmine infestantia, ut fermè nullius febris reperiatur Symptoma, quod in hâc lue non affligat. Inter illa primâ locatur sede *calor* πεμφιγώδης, sensu tactûs explorandus, qvi ab initiô qvandoque difficulter tangenti occurrit, & maximam partem intus delitescens; malignô incendio viscera perurit, extremis sæpè vix tepentibus. Επισημασία accidit cum levi rigore, vel potius superficiario horrore, quem æstus brevi post excipit, qui postmodum noctesque diesque ægrotos detinet & excruciat.

15. *Vitalis Facultatis læsæ*, signum præbet pulsus celer, inæqualis, languidus, undosus, deficiens reciprocus, formicans & miurus: qui pulsus variant pro affectûs magnitudine, ægroti robore & crasi. In principio sæpè pulsus omnino Naturalis deprehenditur, cui tamen non fidendum: latet enim anguis in herbâ: siquidem Cor primum malignitatis impetum fortiter reprimit, febre autem invalescente vix ferendæ malignitati sufficit. Unde natum est in Medicorum Scholis proverbium: Pulsus bonus, urina bona, æger moritur: cujus meminit Hofmannus *exerc. juvenil. lib.* 3. *c.* 1. *Contigisse sibi,* (scribit) *cum in peste Noricâ anni* 1632. *tractasset egregium quendam Medicinæ Studiosum, & ad fenestram inspiciens urinam, admurmurasset. Est melior hesterna! hoc dixisse Studiosum: Urina bona, pulsus bonus, æger moritur. Cumque Hofmannus quæsivisset: Unde hoc habes? A te, dixit ille. Atque ita etiam evenit: siquidem mortuus est altero die. Erant enim in illâ lue omnia infida, tam bona, quam mala. Hactenus Hofmannus.* Vitalem etiam facultatem apprimè laborare ostendit præceps virium lapsus, syncope & lipothymia, quibus levi de causâ ægri afficiuntur, dum halitus putris & venenatus Cor vitæ fontem & focum invadit, spiritus vitales corrumpit, pravaq; commistione eosdem inquinat. Nonnunquam extrema frigent, spiritibus interno incendio adeò absumptis, ut membris longius remotis omninò denegentur. Præterea respiratio difficilis, salvis nihilominus respirationis instrumentis accidens, ut & tremor & palpitatio cordis vitalem fa-

lem fa

lem facultatem malignitate tetrâ occupari, & tantum non collabaſcere teſtatur.

16. *Animalis facultas* læditur hic multifariam, non ſolum quoad exteriores ſenſus, ſed & quoad motricem & rationalem facultatem. *Oculi* rubent, ſanguine tenuiore inflammatô & ad illos alliſô: *Aures* ſonant, ob vapores in capite detentos, & ad tympanum impulſos: quam ob cauſam nonnullos ex hac lue ſurdaſtros evaſiſſe vidimus: *Guſtus* languet, ob linguam peregrinô humore imbutam, ſcabram, nigricantem, & à nimiâ caliditate fiſſam. *Tactum* hebetiorem oſtendit dolor ὀξυχόλος principio morbi affligens. *Caput tantoperè dolet*, ut præ doloris hujus atrocitate reliqua vix ſentiantur ſymptomata: quæ cauſa eſt, cur vulgari idiomate febris hæc vocetur die Hauptkranckheit. An à vermibus in capite generatis dolor hic intenſiſſimus oriatur, id quod Schenckius & alii obſervarunt, accuratâ diſcusſione dignum putamus: Nos, ut palmam in medio relinquimus, ita tot magnorum virorum obſervationes in dubium vocare non audemus. Internos ſenſus afficiunt *aſſiduæ vigiliæ*, ob fuligines ex vehementi humorum ebullitione aſcendentes, & calore ſuo igneo nativam cerebri humiditatem depaſcentes. Contrarium accidit in illis, qvibus cerebrum pituitâ ſcatet, quâ calore febrili liquefactâ, *carus aliique ſoporoſi affectus* inducuntur, ob ſinus cerebri pituitæ lentore repletos. Tales à ſomno exitati pejus habent, delirant, & interdum animo linqvuntur, quod Hippocrates *aph.* 1. *ſ.* 2. pro maloſigno habet.

17. Nonnunqvam *convulſiones* accidunt ob flatus ab humorum crudorum perturbatione emergentes, & muſculorum fibris ſe inſinuantes. *Tusſis* affligit, quoties ob defluentes à capite catarrhos pulmones infeſtantur, qui ſi acredine ſuâ pulmonum venas erodant, ſputum cruentum interdum cauſantur. *Tremor* accidit, ob ſpiritus in partibus abſumptos, ut & humores viſcidos liberum ſpiritui animali ingreſſum muſculis denegantes. *Deliria* communiter infeſtant, quæ ſunt vel ſuavia, ubi quisque æger plerunque de ſuo vitæ genere ſermones fundit incompoſitos. Audias hîc cauſidicis lites, aurigæ ſomnia currus eſſe: Milites verò de bellicis machinis, velitationibus, caſtrorum metatione, urbium oppugnatione verba facere. Inflammatis cerebri membranis *deliria diræ & phrenitides* accidunt, ob ſpiritus à perenni fuliginum impulſu vehementisſimè perturbatos.

18. *Naturalis facultatis læsæ* signa sunt: *Vomitus, appetitus ventriculi prostratus*, ejusdemque *anorexia* sæpè tanta, ut ægroti cibos omnes odio prosequantur plusquam Vatinianô. Accidit hæc ab humorum in primis viis putrefactione & lentore, quæ facit, ut orificium ventriculi, (famis & sitis sedes) obtundatur, & suctio venarum impediatur. *Ventriculum etiam affici* argumento est, quod ægri ad cartilaginem ensiformem sub sterno, ubi orificium ventriculi esse creditur, de vehementissimis conquerantur doloribus, & ad levem digiti tactum stentoreos edant ululatus. Præterea *sitis* ægros torquet inexplebilis, intensissimi caloris, omnem humiditatem absorbentis indubitatum indicium.

19. In excretorum classe Signa suppeditat *urina*, quæ si non omnibus, tamen plurimis ab initiô naturali colore prædita & parum mutata excernitur, ægro nihilominus gravissimè decumbente: id quod verum summæ malignitatis clanculũ insidiantis est τεκμήριον, cui Medicus facilè fidere non debet, ne ægro exspirante dignas luat imperitiâ suâ pœnas: siqvidem malignitas vitæ acropolim confestim adoritur, nec reliquis humoribus mox ab initiô admisceri gaudet, unde urinæ, qvamvis bonæ, nimium ne fidite Teucri. In progressu morbi sæpè excernitur urina crassa, turbida, rubea, cum sedimento turbulento, fœtido ac tartareo.

20. *Sudores*, si in determinata tantum parte copiosè promanent, vel frigidi sint, damnantur à Coo 1. *prorrhet.* & alibi. Contra si cum εὐφορίᾳ ægri, præsertim post crisin à Naturâ institutam prorumpant, salubre sunt indicium. *Alvi feces*, intolerabilem fœtorem mox à primo morbi insultu exspirantes malignitatem arguunt omnia pessundantem. *Colliquativi, dysenterici, epatici fluxus, ut & alvi profluvia* non levem materiæ morbum foventis ostendunt pravitatem. *Hæmorrhagiæ* ab ebulliente aut acri sanguine profectæ, si à principiô acciderint, nihil aut parum adjumenti præstant, siquidem excretiones hæ symptomaticæ Naturam materiæ malignæ impetum non sustinentem, sed potius succumbentem demonstrant: his si non ægri mors, longa tamen morbi protractio, authore Hippocrate, succedit.

21. *Petechiæ, seu maculæ pulicum morsibus similes* circa dorsum, collum, pectus, brachia, non raró in hâc febre crumpunt, ab ebulliente sanguine tenuiore & magis vaporosô in extimam corporis superficiem protru-

protrusæ: has eructat ante debitum tempus Natura graviter irritata, nonnunquam in principio invasionis, interdum brevi post primum impetum. Sunt, qui maculas tales pro pathognomonicô signô habent, & propterea febrem hanc lenticularem, petechialem, das hitzige Fleckfieber / appellitant. Sed aberrant isti â januâ: non enim omnes ægri stigmatibus ejusmodi notati cernuntur, quâ de re videatur Felix felicis memoriæ Platerus *tr. 2. cap 2.*

22. Porrò cum vitam prædicere in evasuris; mortem in morituris, gloriosum Medico sit semper; (cujus verba, si sint oracula: consilia, auxilia: prognostica, Sibyllæ folia, benè agitur cum ipsius existimatione) hinc missis signis diagnosticis *ad* προγνωσιν *hujus luis* nos accingimus, brevibus, quid illa boni vel mali protendat, visuri. Difficile autem hic est, juxta Medicorum principem Hippocratem *aph. 19. s. 2.* veluti in acutis reliquis, aliqvid prædicere certi: quapropter cautè hic pronunciandum, ne vel præposteræ securitatis, vel desperationis aut metus causa sit Medicus.

23. *MODUS EVENTUS AD SALUTEM* est: si materia maligna â Naturâ alexipharmacis adjutâ certô tempore per sudores ejiciatur: si medicamenta, cibus & potus non evomantur: si magna vitiosorum humorum colluvies per vomitum aut alvum cum ægri εὐφορίᾳ excernatur: quam salubrem crisin nuper in perillustri quôdâ observavimus Comite. Si etiam per totum morbi decursum æger sit sanæ mentis, ac deliria accidant suavia, nec diuturna: si urina moderatè crassa sit, (indicat enim caloris nativi robur τὰ ὁμογενῆ congregantis): si reliquis consentientibus urina copiosè fluat, (sic enim præcipua malignitatis & putredinis minera commodè tollitur): si papulæ diebus criticis appareant, nec citò dispareant: (rarò tamen has bonum præsagire F. Platerus & Martinus Rulandus affirmant:) si facies sanorum sit similis: si materia ex capite in utramvis aurem secessum faciat, unde βαρυηκοΐα oritur, quam certissimum salutis augurium suô tempore præbuisse Thomas Jordanus affirmat, quod & nos in plurimis observavimus militibus: ostendit enim hæc surditas, parotides aut aliam sensibilem evacuationem brevi affuturam, sequestratô humore morbifico ab internis ad externa. Præterea si æger â somno relevetur: pulsum tangenti offerat magnum & validum: benè spiret: hypochondria mollia & æqualia habeat: in summâ, si vires cum symptomatibus collatæ

 illis

5. f. 2. Ab externis injuriis Cor præservatur *sacculis cordialibus, balsamô citr. succin. antiloinic. & sim.* Naribus odorandum offertur *ambræ pomum, aut acet. rosat. rutac. cum camphoræ momentô.* *Fonticulorum usu* plurimos ab hâc lue præservari, Medici gravissimi asserunt: Non quod fonticuli veneno resistant, sed quod vitiosos humores ê corpore sensim tollant & hôc modô apparatum ad contagium suscipiendum demant.

29. In CURATIONE Medicus insidiosum hostem hunc debellaturus quatuor potissimum scopos, ad quos sedulô animô collimet, sibi præfigat. 1. Omnem lapidem moveat, ut malignitatis averruncetur fomes. 2. Malignam qualitatem Naturæ totô genere & ê diametrô contrariam immutet, atque ê centrô ad circumferentiam proliciat. 3. Allaboret, ut Cor â venenatâ qualitate præmuniatur, corroboretur, partesque reliquæ non negligantur. 4. Operam det, ut gravissima ingruentia Symptomata pro virili demulceat, mitiget ac emendet. Hæc omnia felicissimè assequetur, si ex tribus usitatis fontibus, *Pharmaceuticô nimirum, Chirurgicô & Diæteticô* materiam præsidiorum cautus hauriat & desumat.

30. PHARMACIA, suppeditat *purgantia*, quæ â nonnullis in hoc morbô rejiciuntur, eô quod multum quidem moveant, parum autem promoveant, vires debilitent, caliditate noceant, ad veneni Naturam accedant, malignitatemque ad centrum penitius trudant. Verum enimverò cum ut plurimum pravam diætam Morbus hic agnoscat matrem, & magna vitiosorum humorum nullam coctionem suscipientium saburra circa ventriculum hæreat, omninò statuimus operam dandam esse, ut in principiô, viribus nondû languentibus per eccoprotica, leniter purgantia & vomitoria colluvies hæc evacuetur, antequam illa in corporis penitiores rapta recessus morbum valdè augeat: in hâc febre enim insignis est ὀργασμὸς humorum qui omnis penè pepasmi expertes sunt: quapropter hîc etiam audiendum veritatis Medicæ tribunal *f. 2. aph. 29. f. 1. aph. 22.* Purgantia talia sunto leniora: *ex. gr. sirup. Cichor. c. Rhab. rosat. sol. diasen. elect. diacathol. diaprun. solutiv. rhabarbarum & ejus extractum. Tamar Indorum pulpa, cassia, manna & sim.* Omnibus palmam præripit *Agaricus, ex cujus drachmâ unâ cum flor. cassiæ drachm. 6. ol. citr. gt. j. & sacchar. q. s. bolus formari*, vel in aliâ formâ exhiberi potest.

13. Nec

31. Nec *Clysterum* usus incommodus: illi enim inferiora tutò evacuant, & humoribus sursum hærentibus παρὰ τὰ κάτω facilem pandunt viam. Parentur *ex rad. lil. alb. altheæ ana dr. 6. herb. violar. lactuc. malv. ana Mj. scord. flor. violar. chamomill. ana Mß prun. Damasc No. viii. Coq. in s. q. brod. carn. vitulin. vel pull. In colatur. libj. dissolve cassiæ extract. unc. unam semis, mellis violat. unc. ij. ol. violar. unc. iiß. M. f. enema.* Nonnulli in colatura dissolvunt *el. de tryph. persic. extract. helleb. nigr. & nonnihil fellis taurin. inspissati.* Sunt, qui ad contemperandum æstum Clysteribus addunt *nitrum vel crudum vel præparatum.* Alexipharmaca, quæ Mündererus admiscet, commodius per os exhibentur.

32. *Vomitoria* in proclivibus ad vomendum exturbant pravam humorum congeriem, malignitatis pessimæ principium, sine magnâ virium jacturâ, & sæpè mirandò cum effectu, adeò, ut æger ex horum usu insigne sentiat levamen. Sint autem & hæc leniora, *ex. gr. Sal Vitriol. quem Angelus* Sala mannam vomitoriorum indigitat: propinari potest *á scrup. sem. ad scrup. j. cum oxymelit.* aut alio vehiculo conveniente. Inservit huic scopo *aq. benedict. Rul. helleborismus Heurnii, & decoct rad. asar. cum oxymelite.* A fortioribus qualia sunt *flor. croc. & vitr. antimon. mercur. vit. hîc abstinere consultum:* Post vomitum æger *jus pulli* sorbeat aut *conserv. rosar. vitriolat. carn. citr. cond. roob berber. rib. & similia* sumat.

33. Ubi sic Medicus primo scopo satisfecerit, nihil moratus ad *Alexipharmaca & sudorifera* se conferat, in quibus totius curationis cardo vertitur. Ex simplicium classe eligat *carduum benedictum,* qui plurima suppeditat præsidia, item *rutam, Zedoariam, vincetoxicum, scorzoner. terr. sigillat. Strigens. & Turcic. bol. armen. C. C. ust. & philosoph. præparat. & sim. Unicornu & lapide bezoar* si quis uti volet, lynceos admoveat oculos, ne pro veris adulterina accipiat, & sic fallatur & fallat. In compositorum censu sunt *pulv. Cæsar. rub. spec. liberant. electuar. de ovo Maximiliani, diascord. Fracastor. mithridat. Damocrat. theriaca Andromach:* quam tamen ob insignem caliditatem cum cautelâ exhibere decet: *electuar. de Zedoariâ* Thom. Jordani, *aq. contr. malignitat. aq. citri alexipharm. tinctur. bezoart. D. D. Michaëlis, bezoarticum Solar. diaphoret. pulv. nost. antifebril. camphoratus, Sal. nost. sudorif. compos. Antimon. diaphoret. bezoart. mineral. lunar. animale, fl. sulph. ad albed. sublim. & sim.* Sudore sic per horam unam vel alteram provocatô stragula non statim removen-

 da,

da, multô minus frigida aura admittenda, ne malignitatis minera jam dissipata rursus repellatur ad centrum: sed sudor blandè calidis linteis abstergendus, ægerque cibis & analepticis reficiendus. Quod si sudare nequeat ægrotus ob imbecillitatem virium, vel aliam ob causam, nihilominus tamen Alexipharmaca propinanda, ut malignitas, si non aliter, tamen ἀδιαπνεύςως discutiatur: potest tamen sudor in lecto promoveri lateribus calidis aceto conspersis, lagenis aut vesicis bubulis aqua calente plenis, aut serpentino lapide calefacto & cum linteis applicato.

34. Διέρησις insignem præstat usum ob renes non perfunctoriè laborantes & obstructos: non rarò enim per renales meatus malignitatis fomitem Natura ablegat. Eligantur verò diuretica temperatiora, quæ præter serosos humores educendi facultatem simul alterant & refrigerant, qualia sunt: *serum lact. caprill. decoct. radic. fœnicul. cichor. asparag. scorzoner. gramin. carduibenedict. acetos. rasur. C. C. aq. hord. cum C. C. ust. passul. sem. fænicul. & julapia cum sirup. acetositat. citr. limon. granator. & sim. additis aliquot guttulis spir. sal. Tartarisat. vel vitriol.* Emulsiones fieri possunt *ex amygd. sem. nap. frig. major. citr. cum aq. fragor. acetos. cerasor. nigr. quibus C. C. ust. præp. spec. diamarg. frig. & sim. addi possunt.* Sunt, qui *nitrum præparatum* & hic commendant, nec sine ratione, illud enim inter virtutes reliquas renibus quoque egregiè opitulatur.

35. Dum hæc ita fiunt, simul ad vitalem indicationem collimandum, viscerique principalissimo cordi *medicamentis corroborantibus*, tam internis quam externis subveniendum. Interna sunt *spec. de hyacinth. lætificant. Galen, magister. hyacinth. perlar. Corallor, smaragd. præp. lap. bezoar. Oriental. confect. alcherm. conserv. rosar. rubr. vitriolat. violar. borrag. bugloss. fl. tunic. condit. flor cortic. & pulp. citr. sirup. perlar. Corallor. granatorum, emulsio perlarum & Corallorum cum aq. cordialibus, facta: tinctura Corallorum vera; essentia, margaritarum, pulv. bezoart. Sennert. analepticus Mundereri, bezoarticum Solare, magisteriis cordialibus admixtum & sim.* ex quibus in varia forma medicamenta parari possunt. Extra cordis regioni & pulsibus applicantur *sacculi spec. pro epithem. cordis repleti, & acetô rosat. bezoart. scord. angelic, lavendulæ, vel aquis cordialibus madefacti.* Si verò exanthemata proruperint, madida epithemata ob repulsionis metum locum non habent. Illini etiam cum commodo potest *ol. scorpion: Matthiol. aranear. Munderer. balsam. Ale-*

xieacus

xicacus D. D. Michaelis, citr. rutæ & sim. qvorum pleni sunt practicorum libri.

36. CHIRURGICA inter auxilia in conspectum primò se offert *Venæ sectio*, quam nonnulli hic planè rejiciunt: idque propter vires, quarum velut anima sit sanguis, & quibus ad evincendum morbum tanquam armis fortissimis Natura utatur: addunt præterea, adesse malignitatis furorem, exæstuantem calorem, elabendi laborem, & hæc singula sanguinem nimis maturè minuere, immo consumere posse: sicque concludunt, Venæsectioni nuncium mittendum esse. Verumenimverò susque deque habitis adversariorum rationibus phlebotomiam pro generoso habemus præsidio, cui in tempore instituto audacter fidendum. Nec enim sanguinem minuere consultum esse arbitramur, ubi vires planè sunt attritæ: nec obstat calor exæstuans, huic enim Venæ sectio, qvæ per accidens refrigerat, resistit. Igitur primis viis mundatis præsentibus notis sanguinis ebullientis, viribus constantibus, uno vel altero post invasionem die sanguis (præsertim in corpore plethorico) justâ qvantitate detrahendus. Sic enim Natura parte oneris levata residuum felicius vincit. Eligitur ut plurimum mediana brachii dextri revulsionis; sublingualis vena derivationis gratia. Nec tali venam secare, ubi opus fuerit, inconsultum putamus. Si verò Medicus viribus jam collabascentibus, & post magnum putredinis malignæ progressum accersatur, tutius est, exemplo Hippocratis 1. *epid.* 3. â Venæsectione abstinere, qvam ægrum in præsentissimum conjicere discrimen.

37. *Cucurbitulæ* vicariam præstant operam, ubi ob virium lapsum in morbi progressu venam secare nolumus: illæ enim sanguinem tenuem & ichorosum, cum malignis vaporibus ad exteriora evocant. Affigendæ sunt partibus inferioribus: sic enim â corde & partibus superioribus sanguis revellitur: monente Galenô *lib. de cucurbitul.* Nec *frictiones* sunt incommodæ. *Vesicatoria, phœnigmi, sinapismi* proliciunt virus ad exteriora citra virium jacturam: horum usus est post universalia præmissa. Valet hic vesicatorium, quod in omni mentis alienatione præscribit Mynsicht. *f.* 29. Affiguntur cruribus & coxis ad materiam venenosam â corde revellendam; ad derivandam verò pone aures, humeros, scapulas in deliriis & soporosis affectibus. Hûc faciunt *fonticuli*, qui in ejusmodi febribus, immò in ipsa peste magni sunt momenti, secundum Sennert

lib.

lib. 4. de febr. c. 5. in quibus tamen ſolis ſpem ſecuritatis non collocandam putamus.

38. Symptomatum in hac febre prolixus eſt Catalogus, ex quibus principaliora in ſcenam producemus. *Nauſea* ventriculum infeſtans cum ſingultu & acerrimô dolore tollitur eccoproticô, aut vomitoriô primis diebus exhibitô, de quo ſupra: quo factô ſirupus vel vinum granatorum exhiberi poſſunt. *Vomitus* ſiſtitur, ſi ſtomachi regio inungatur *oleô abſinth. maſtichin. cydonior.* vel imponatur *emplaſtrum ſtomachale Craton. Diarrhæa* non protinus cohibenda, ſi fœtida excernantur, ſed potius abſtergens medicamentum propinandum: quo factô *liquor n. ſtiptic., decoctum raſuræ C. C. cum ſirup. acetoſitat. citr. theriaca rec. & ſimilia* conducunt. His medicamentis etiam *alexipharmaca* admiſceri poſſunt. Extra ventriculo imponitur *emplaſtrum de cruſtâ panis. Cibi* exhibeantur mediocriter incraſſantes & abſtergentes. *In dyſenteria* valet *decoctum Rulandi cap. 6.* de lue Ungaricâ propoſitum: Item *enemata Mynſichti, quæ ſect. 32. præſcribit.* Laudatur *ſirupus de Corall. croc. ♂tis, terræ ſigillatæ ſulphur, & ſimilia.*

39. *Sitis*, caloris & ſiccitatis ſoboles, ubi â nimiò pulmonum provenit æſtu, *cryſtallô ori inditô & aëre frigidô attractô,* raro potulentis tollitur: quapropter hominum frequentiâ ab ægrô arcenda, ne Aër inſpirandus incaleſcat, aut ægrum multa fari oporteat. Quæ verò *ſitis â ventriculi* & circumjacentium partium *æſtu* proficiſcitur, mitigatur *aquâ hord. cum C. C. paſſul. julep. roſat. violat. vel tincturâ noſtrâ alterant. cum ſirup. granator. ſpir. nitr. aut vitriol. guttulis aliquot.* Os elui poteſt *aqua fontanâ frigidâ cum medicô aceti roſat. & ſale prunell. Craſſulæ folia, item taleolæ cucurbitarum in aq. frigidâ maceratæ,* ore detentæ, & ſæpè renovatæ eundem præſtant uſum. Eadem medicamenta *in linguæ & faucium ſcabritie & ariditate* laudantur. In inflammatione linguæ convenit *gargariſmus ex ſempervivô, nymphæâ, portulacâ & ſale nitrô: vel mucilag. ſem. pſyll. aut cydonior. cum ſirupo violar. mixta.* Conradinus utitur tali remediô: *℞. ſempervivi contuſi lib. j. adde ſalis armoniaci unc. ſem. hæc* reponantur in loco humido ſubterraneô, donec ſal liquefactus ſit: poſtmodum aqua alembicô extrahitur, quâ lingua & os colluitur.

40. *Syncopen & Lipothymiam* ſedant remedia *corroborantia* ſupra enumerata. *Præſtat hîc aq. vit. alb. Saxonic. aq. virtut. compoſ. magnani-*

gnanimitat. aq. de corde & typhis Cervi, aq. carfunculi, & *oleum ejusdem.* *Dolor capitis* placatur *oxyrrhodinis, emulsione nucleor. persicor, & sem. papav. albi, unguentô alabastrinô, decoctô radicis rhodiæ in aq. rosar. succô cancror. fluviatil. cum aq. verben. & similibus,* fronti & temporibus applicatis: revulsionis nomine plantis pedum *raphanus contusus cum sale & aceti momento, vel fermentum cum sapone & sale, aut argilla cum acetô rosatô* alligatur. *Renum dolor* lenitur *oleô amygdalar. scorpion. cum unguentô rosatô illitis.* *In vigiliis* commendat Hœferus *unguent. popul. cum opiô, ol. nymphææ & mandragoræ.* Has sistunt *emulsio sem. melon. papav. alb. amygdal. dulc. cum aq. nymphææ, endiv. rosar. hypnotic. facta:* lotiones pedum *ex decoctô folior. salic. vitis, lactucæ, violar. flor. nymphææ, violar. cap. papav. alb.* Quæ omnia si parum proficiant, *ad laudanum opiatum* tanquam ad sacram anchoram confugiendum, cujus *g. ij. vel iij* vel sola *vel cum magisteriô Corallor. aut perlar.* exhibere licet. *Sopor nimius sternutamentis, errhinis, aceto acri naribus admotô, cucurbitulâ occipiti affixà, ut & phœnigmis tollitur.*

41. *Deliria,* præmissâ Venæsectione aut scarificatione compescuntur *oxyrrhodinis: columbis vel gallinis per medium dissectis & capiti applicatis: vel phœnigmis* appositis. *Parotides* cum delirio, dolore & surditate aurium affligentes cautè tractandæ, nec reprimendæ, sed potius evocandæ. Imponi potest *mica panis in lacte macerata, cum vitell. ov. ol. chamomillæ & croco:* si lentè prorumpant, attrahentibus vel cucurbitulis promovendæ: si nimium accrescant, & suffocationem minentur, ferrô aperiendæ. Materiam morbificam per crisin ad aures depositam, & per parotides feliciter evacuatam non ita pridem in plurimis observavimus. *Hæmorrhagia narium,* si nimia sit & vires dejiciat, succurrimus victu nonnihil astringente: eôq; modo: quô aliis mederi solemus hæmorrhagiis. *Sputum sangvinis* amoliri conabimur *revulsionibus, derivationibus, cucurbitulis, ligaturis, aq. portulac. aq. contra sput. sang. Dorncreil. tinctur. sulphuris vitriol. sirupô papav. Rhœad. portulaca & similibus.*

42. DIÆTA suum conferat ἐπιβάλλον μέρος. *Aër* sit εὔκρατος. Alteretur suffumigiis *ex ramentis, baccisque juniperi, lauri corticibus & foliis, aceto rutæ aut rosatô candentibus lateribus affuso, pastillis, trochiscis, & pulveribus pro fumô,* quibus nonnulli, nec sine ratione, *nitrum* admiscent. Rhases *lintea acetô madida* in parietibus extendit. Frigidior aër æstuantibus pulmonibus concedi potest, sed corpore reliquo stragulis benè coopertô.

43. Cibus sit ταχύτεϱϕ@, nam celeri refocillatione hic opus est. Prosunt *jura consummata, juscula capon. gallinar. cum citri & limonum succo, aceto rosato, cinamomi & macis momento condita.* Laudantur *ova recentia,* tremula, sorbilia, quibus *succi citri* nonnihil instillari potest: sic enim non ita facilè corrumpuntur. Conducunt *cerasa acida, pyra muscatellina condita, mala borsdorfferana, ribes, berberes, pruna Damascena, passulæ, panatellæ & sim.* In quantitate ciborum aurea servanda mediocritas, quæ ex viribus & ventriculi constitutione metienda. Tempus cibandi est, morbus cum quasdam largiri inducias, ægerqve minus affligi & febricitare videtur.

44. Pro potu inservit *aq. hord. cum sem. 4. frig. passulis, radic. scorzoner. C. C. ust. vinô granator. & sim. parata: item julapium ex aq. borrag. accetos. fragor. rosar. violar. cum sirup. acetositat. citr. sirup. de succ. acetos. & spir. vitriol. q. s. concinnatum. Vinum* cane pejus & angue fugiendum: testanturque plurimi melioris notæ Medici, inter quos Hœferus, illos, qui vinum Anno 1632. grassante tum temporis hâc lue, incautius hauserant, ad unum omnes interiisse. In declinatione tamen pro corroboratione stomachi *vinum aquâ dilutum* concedi potest in assuetis. Nec *acidularum* usus incommodus. *Cerevisia clara* defæcata Septentrionalibus incolis dulce præbet refrigerium, vinique defectum egregiê supplet.

45. *Somnus & vigilia,* ἀμϕότεϱα τȣ̃ μετϱίȣ γινόμενα μᾶλλον, κακόν. teste Hippocrate *s. 2. aph.* 3. Præstat moderate vigilare, qvam somno nimis torpere: somnus enim nimius malignitatem ad interiora rapit, unde putredine auctâ incendium febrile incrementa sumit. *Alvus* semper aperta teneatur: constipata si sit, *manna unciâ unâ in brodiô prunorum dissolutâ* lubrica reddatur: *Urinæ & sudores* liberali fluant rivo: ἀδιαπνευσία omnis vitetur: τὰ πάϑη moderationis coërceantur freno: *Animi constantia* ægro excitanda, ne ad desperationem pronus, fatalis infelicitatis se prædamnet, & certam spem in desperationem convertat. Sed manum de tabula! mentem ad vota!

SUmme DEUS, qui solus habes moderamina rerum,
vindice qvi dextrâ delicta ferocia punis
ingratorum hominum: sed adhûc placabilis iras
abjicis, affectumque Patris non exsuis unquam:

pestiferi

peſtiferi depelle procul contagia morbi,
bella, famem, peſtemque, tuis aut quæ mala ſervis
horrendi Satanæ minitatur visque dolusque:
Fac, ut in excubiis Cœli felicis alumni
ſtent vigiles, ſalvus ſit defenſoribus iſtis
cum Patriâ PATRIÆ PATER: & Schola floreat annis
Gerana innumeris: Sic Te ſuper aſtra feremus,
Numina perpetua celebrabimus & tua laude.

Tibi ſoli Gloria in infinita ſecula.

Salomon Fleiſchhauerus Medicinæ Cultor.
ἀναγραμματικῶς
En laus & melos! Vir floridus hicce Machaon.

GRande DEI donum eſt, rutilô pretioſius aurô
Attalicisque opibus, mens ſana in corpore ſanô:
At ſi febris edax ægros depaſcitur artus,
mens ſimul afficitur, rationis Regia languet:
Talia Pannonicus monſtrat ſymptomata morbus,
multum infeſta Viris, qui Martia caſtra ſeqvuntur:
Hunc indefeſſô, tu Fleiſchhauere, labore
aggrederis, dum, qualis ad hanc curatio febrim
pertineat, qualis quoque præſervatio, diſcis.
Quanta tibi Clarius perſolvet præmia Phoebus?
EN! LAUS ET prædulce MELOS Tibi provenit inde:
Fama acclamat: erit VIR FLORIDUS HICCE MACHAON.

In benevolentiæ teſſeram gratulabundus fundebat

PRÆSES.

Dum

DUm Doctore PETRO febrim dignoscere tentas
Hungaricam, firmo nitere præsidio,
FLEISCHHAUERE; Duce hoc facilè expugnaveris omnem
Morbum. Hunc Doctorem teq; valere precor.

αὐτοσχεδιαστὶ f.
M. Samuel Boccius, P.L.C.
Phil. Mor. & Eloqv. P. P. n. n.
Gymn. Sen. Conrect.

NUn wilstu abermahl/ mein Freund/ dich lassen hören;
Und zeugen künstiglich/ wie man doch möchte wehren
Der starcken Gifftes-Wut/ so her aus Ungern kömmt
Und manchen teutschen Mann zum Tode mit sich nimt.
So machts ein Feuer-Geist: Der/ der ist nimmer müssig/
er fehret freudig fort/ der Arbeit nie verdrüssig.
Gleich wie Du itzo thust/ du rechter Phoebus Sohn:
Drümm wird dir auch der einst die schöne Lorbeer-Kron.

Glückwünschend schriebe
solches
Johann. Nicol. Schmaltz.

FINIS.